

Canticum

Seq. 

1. **F** los Carmé-li, vi-tis flo-rí-ge-ra, splendor cæ-li,
 Virgo pu-érpe-ra singu-lá-ris. 2. Ma-ter mi-tis, sed vi-ri
 nésci-a, Carme-lí-tis esto pro-pí-ti-a, Stella ma-ris.
 3. Ra-dix Jesse gé-rmi-nans flōscu-lum, nos ad-és-se te-cum
 in sǎcu-lum pa-ti-á-ris. 4. Inter spi-nas quæ crescis lí-li-
 um, serva pu-ras mentes fra-gí-li-um, tu-te-lá-ris.



Vocabula



← *flos, floris m.*

vitis, -is f. →



floriger: qui flores fert
 (= plenus florum)

splendor, oris m. < splendēre

virgo, -inis f.: femina quae virum
 nondum cognovit (= quae
 numquam cum viro coivit)

puerpera, -ae f.: femina quae nuper
 puerum (sive puellam) peperit

virgo singularis:
 virgo sui generis

mitis (-e): placatus, mansuetus,
 lenis

femina nescia viri: virgo

propitius (-a, um): benevolus

Stella splendet. →



radix, icis f. →



germinare: producere

flōsculus, -i m.: parvus flos

pati: tolerare, ferre



← *Rosa spinas habet.*

crescere: maior fieri

(con)servare = tueri, salvare

fragilis (-e): qui faciliter frangitur

tutelaris (-e): qui defendit
 (= patronus, qui tuetur)

armatura, -ae f.: arma

5. Arma-tú-ra fortis pugnánti-um, fu-runt bel-la, tende præ-
 sí-di-um Scapu-lá-ris. 6. Per in-cérta prudens consí-li-um,
 per ad-vérsa jüge so-lá-ti-um largi- á-ris. 7. Ma-ter dul-
 cis Carmé-li dó-mi-na, plebem tu-am reple læ-tí-ti-a qua
 be-á-ris. 8. Pa-ra-dí-si cla-vis et já-nu-a, fac nos du-ci
 quo, Ma-ter, glo-ri-a co-ro-ná-ris. A-men.




Bella furunt:
 Multae pugnae pugnantur.
furere (= *saevire*) > furor, -oris m.
praesidium tendere: servare

iūgis (-e): →
 perennis,
 sine inter-
 missione



solatium: consolatio, fomentum
largīrī: dare

plebs, plebis f.: populus
dulcis (-e) ⇔ acidus, asper,
 acerbus
adversus (-a, -um) ⇔ secundus
replere: implere, complere
beare (aliquem): delectare

clavis, -is f. 



ianua, -ae f.

Paraphrasis

1) Flos Carmeli, vitis florida (= <i>plena florum</i>), splendor cæli, virgo singularis (quia filium genuit).	2) Mater mitis es, sed nihilominus virgo. Esto adiutorium Carmelitis, o stella maris.	3) Radix Jesse germinans parvum florem: Tolera nos adesse tecum in sæculum (= in aeternum).	4) Tu quæ crescis sicut lilium inter spinas: (Con)serva puras mentes omnium qui fragiles sunt, o patrona nostra.
5) Tu es fortis armatura omnium, qui pugnant. Dum furunt bella, tende præsidium scapularis.	6) Per (tempora) incerta largiaris prudens consilium; per (res) adversas concede perenne solatium.	7) Mater dulcis Carmeli domina, populum tuum reple eādem lætitiā quā delectaris.	8) Clavis et ianua Paradisi, fac nos in eundem locum perduci ubi tu gloriā (aeternā) coronaris. Amen.